UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iacobi Bidermani E Societate Iesv Vbaldinus Sive De Vita & Indole Antonii Mariæ Vbaldini Vrbinatis, Monteæ Comitis, Breviarivm

Bidermann, Jakob

Fribvrgi Brisgoiae, 1663

Paupertatis amor. 53

urn:nbn:de:hbz:466:1-44891

Visual Library

us abdiderat, magnáque cura cælatos cupiebat. Tunc ijs inſperatò in lucem protractis, proditum ſe deprehenſúmque ſentiens; cũ rubore hactenus prorupit, vt alterum à lecto faceſſere, ſuáſque ſibi res iuſſerit actitare. Præuerterat is dicendi impetus rationem: ideò, vt dicere ſe aduertit, dixiſſe pænituit. Abit deindè, conuentúmque adoleſcentem, ſua in ſella collocat; ignarum quid pararet. Ipſe adſtans, veniam dicti ſui, non pro eo quàm decuerit humani, ſuppliciter orat: Indictum omnino id velle. Rogare tamen, vti & factum ſuum alter de reliquo infectum velit.

LIII Paupertatis amor.

NVllis adhuc votis erat ad paupertatis ſtudium obſtri-

ctus; cum æquè tamen, ac ſi nexu arctiſſimo ſtringeretur, eius imitamenta voluntariè eſt profeſſus; inopémque vitam amauit adoleſcens nobilis, quam plerique eius loci ac ordinis, velut indecorem, & generis ſui probrum aſpernãtur. Sed enim, quando per maiorum voluntatem, nondum ei licuit vltima inopiæ palàm experiri; auſus eſt furtim eius quædam ſimulacra, vbi potuit æmulari. Igitur non modò gaudebat cùm præ alijs, quod ſupra narrauimus, pauper ac plebeius videretur: ſed opinionem hanc, vt vltro augeret, ſerica veſte ſibi omni conſtanter interdixit; vulgari ſemper, ſed ea tamen honeſta, contentus. Quicquid deinde ſeu vi, ſeu caſu ablatum ſibi ſentiret; eius iactu-

ram

ram tanti nunquam faciebat, vt idcircò vel vno verbulo quereretur: iam tum aſſuetus, nihil ſuum credere, quod eripi per fortunam poſſet. E conrrario, in dandis donandíſque rebus, quarum ipſi ius arbitriúmque permittebatur perfacilis erat. Et voluptatis inſtar ducebat, priuare ſe ipſum, dum aliorum neceſſitudines ſubleuaret. Sanè autẽ, vt guſtum præciperet veræ mẽdicitatis, quàm accire propediem cogitabat, conſueuit iã olim chartæ folia, pennáſq; & ſi quid aliud hoc genus vtibile vellet; à ſocijs precatio emendicare; tametſi recularum eiuſmodi ſuppellex è proprijs abundè ſuppeteret; ídque ea gratia ſolùm, vt imaginem futuri, tantò ante repræſentaret.